

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A. 1558.

PARS SECUNDA.

77

gandi, cum obiter tantum inspexissem, Coccio Symmistæ perlegendum exhibui. Quia enim Inscriptio Vigandum profitebatur, animo jam præsumebam, nihil in eo contineri, quod ullâ ex parte à veritatis regula deflesteret, aut consensionem sanctam læderet, eademque fiducia præjudicioque etiam Coccius, cum legisset exemplar, Oporino nostro utriusq; nomine potestatem excudendi fecit. Et quia ferè jam absolutus erat, priusquam tuæ venirent, nihil à nobis potuit mutari. Censet autem Coccius, qui legit, nihil incommodi ab Autore insertum. De Suenckfeldicis scriptis in genere tantum ad me Ravenspurgensis minister, à quo requiram, ut exactius indicet titulos & inscriptiones. Galliam consecutam esse pacem, gaudeo, quo leventur incolæ diutina gravissimaq; ærumna, & ostium aperiatur Evangelio. Video autem, præcibus magnopere instandum, ut Domini manu benigne tegantur docentes in eo regno, quo & incorrupta veritas locum habeat in solidum & arceantur schismata & offencicula. Bene vale, Vir reverende & chariss. frater, cum Symmistis fratribus & uxore, quibus meo, Coccii & reliquorum collegarum meorum nomine salutem dico. Basil. Dominica Lætare, Anno 1558.

Tuus ut semper

S. Sulcerus.

Scripteram has, ut per mercatores, ad vos Francofurtum pergentes deferrentur, sed quum casu neglectæ & relictæ sint dōmi, nunc demum eas mitto.

LIIX.

Johannes Albertus, Dei gratia Dux Megapolensis &c.
Davidi Chytrao.

S Et si, ut te meminisse arbitramur, partim ipsi coram nuper, partim per Andream Mylium tecum Suerini egimus, & pro nostro non solum scholæ constituendæ, sed in te quoque studio singulari hortati sumus, ut quam nobis temporum imponit improbitas, hanc rei literariæ constituendæ aliquam difficultatem ferendam tibi quoque, & commodiorem statum sapienter judicares esse expectandum: tamen cum præter expectationem acciderit nostram, ut literis istinc evocaris, faciendum nobis esse putavimus, ut eadem literis quoque ad te perscriberemus. Magna autem spes nos tenet, si quid coram nobis petentibus non gravatè receperis, & quantopere cupiamus scholam amplissimam, teque & multos alios honestissimos esse, fueris recordatus, fore ut in ea statione, in qua à DEO collocatus, utilem Reip. navas operam,

K 3

operam, fortiter perstitisse potius, quam Remp. difficili aliquo ejus & incommodo tempore deseruisse videare: præsertim cum neque tanta imposita vulnera, neque cæ calamitates sint, quæ sapienti consilio & diligenti cura, atque moderatione non possint corrigi, atque emendari. A nobis agentur omnia diligenter. Nihil enim quod quidem vel ad scholæ & Ecclesiæ, quæ nobis est, uti esse debet, charissima, vel etiam ad tua, hominis nobis charissimi, ornamenta & commoda pertinere judicabimus, prætermitemus. Quo cum simus in te & cæteros etiam animo, eos præsertim, qui tuo exemplo, DEI benignitatem apud nos expectandam sibi esse statuerint, sit nobis neque charius quicquam, neque prius, quam ut Ecclesiæ, & Scholæ, cui servire omnes nos merito, & in hoc tam exiguo vitæ curriculo consulere debemus, locum suum tueri, & si quid prætermisum est, compensari possit, neque tibi, neque cæteris ad deserendam stationem causæ satis esse judicamus. In navigando tempestati obsequi, & fluctibus, quantum fieri possit, resistere artis est, elabi autem velle, & relicta navi tempestatem vitare, & in majorem fortassis incidere, timiditatis est potius, quam sapienter in posterum, benèque judicantis.

Quamobrem ut te hac consolatione sustententes, & nobis tui juvandi, orandique partes tribuas, animum denique ab omni dubitatione ad præsentem tuam conditionem retinendam revoces, te pro nostra in te benevolentia etiam atque etiam hortamur. Quod tibi Andreas Mylius nostro nomine recepit, id nos certò, uti principem decet, sineque recusatione libenter cumulateque præstabimus. D. Tilemannum verbis, mandatoque nostris hortare, ut nostro nomine apud nos sibi statuatur esse permanendum. Ejus enim causa, quantum in nobis positum est, & cura, & diligentia confici poterit, nos laboraturos esse pollicemur, neque dubitamus, eum à nobis citius opinione iri restitutum. Quæ res cum ad Ecclesiæ emolumenta, & si recte existimare volet, ad ipsius quoque honorem & dignitatem pertineat, hos ipsum facturum esse confidimus. Te rectissime valere, & tuam operam nostræ scholæ, atque Ecclesiæ perpetuam esse optamus. Dat. Suerini 9. Cal. April. Anno 1558.

H. A. H. Z. M.

Manu propria.

Tu aliorum exemplum quasumus ne imitare, sed potius magno & infracto animo sis, & nobiscum DEI benignitatem expecta, Hoc nobis gratissimum feceris.

LIX.

Gottes Gnad durch Iesum Christum, seinen ewigebornen Sohn unsern Heiland/
mit erberung meiner freundslichen und allzeit gutwilligen diensten zuvor; Edel/
Ehren